

LIBER DECIMVS-QVARTVS.
PARALIPOMENON.

De dubiis ex Historiis.

CAPVT I.

De Hierone Syracusano Tyranno.



Hieronem Syracusis tyrannidem obtinuisse à Gelone receptam decem annis, meminit Aristoteles, *Quinto Polytorum: capite 12.* Meminit & horum Diodorus Siculus, & constat fuisse Themistoclis ætate & sæuum, Xenophon autem in Hierone vt æquum introducit. Sed hæc missa faciamus: Valerius Maximus de liberalitate agens, dicit Hieronem Syracusanum misisse Romanis, audita clade, quam ab Annibale ad Transimenum lacum acceperant, modios trecentos tritici, hordei ducentos, auri pondo ducenta quadraginta. At constat inter Themistoclis ætatem & cladem ad Transimenum acceptam annos intercedere C CLXIV, quomodo igitur tantum viuere potuit: Et Iustinus, & Polybius recitant Hieronem cæpisse tyrannidem exercere Syracusis, anno mundi vt supputare licet M DCLXXXVII. Ibi etiam illud mitum, quod ad Transimeni cladem perdurauerit, quæ in annum mundi incidit M. DCCXLVII, vt quinquaginta nouem annis superuixisse necessum sit in regno. Grande tempus vitæ etiam, non regnandi tantum. Quod etiam de mutatione morum scribit Cælius Rhodignus *libro Decimono cap. 28.* ad antiquum Hieronem pertinere palam est: vt qui Pindari & Alcæi poetarum consuetudine post morbum gauderet: vt posterior Archimedis mathematici, vt duos fuisse constet huiusmodi tyrannos, quorum prior iuuenis periit, regnauitque decem tantum annis, Gelonisque iustissimi tyranni frater fuerit, posterior autem sexaginta annis summa ætate obierit.

CAPVT II.

De duobus Zenonibus.

Valerius Maximus *libro Tertio cap. 3.* vbi de patientia agit, Zenonem Eleatem philosophum ait tortum à Phalaride, *Tom. X.*

& dum torqueretur in tyrannum excitasse populum, vt illum lapidibus obruerint. Inde dicit alium Zenonem Philosophum, & ipsum dum in tormentis esset, Neareho tyranno, dentibus auriculam præcidisse, simulatâ detegendi conscium voluntate. Hunc sanè constat non fuisse eum, qui Athenis in summa tranquillitate conuenit, nec alium fuisse Zenonem Philosophum legimus præter hos duos, Quin etiam Diogenes, quod Valerius de alio Zenone refert sine cognomine, de Eleate & Nearcho tyranno recitat, de Phalaride autem nihil huiusmodi. Addita præterea in illius historia, quæ de Anaxarcho Philosopho & Nicocreonte tyranno Alexandri tempore, aut paulo post acciderunt, scilicet quod linguâ præcisâ Philosophus in faciem tyranni inspuerit, quæ referri ad Zenonem Eleatem simul ac Phalaridem, nec Nearchum referri non possunt. Si confessus est ob id, quod autem tyranno præcidit, dico in tanta caligine antiquitatis modò vnum, modò alterum fuisse deceptum. Satis constat Nearcho auriculam detractam à Zenone vno Philosopho. Phalarim occisum à multitudine Agrigentiorum: Anaxarchum Thusum in mortacio iussu Nicocreonis tyranni: in quem Philosophus, linguam dentibus præcisam, expuit.

CAPVT III.

De Seruio Terentio & Lucilio.

Valerius Maximus *lib. 4. cap. 7.* dum de amicitia agit, recitat quod cum Antonij milites D. Brutum quærent, vt occiderent, sponte Seruum Terentium se obtulisse, vt morte sua dum Brutum mentitur, illum à vitæ periculo leuaret. Sed agnitum Terentium à Furio qui huic negotio præerat, seruatum in vitam. Plutarchus autem in vita M. Bruti eadem serme de illo recitat, quæ de D. Bruto, sed Lucilium pro S. Terentio subijcit, deductumque ad Antonium atque seruatum, habitumque Lucilium inter præcipuos Antonij amicos. Quid dici possit satis intelligo vtrumque contingere potuisse. Sed tam præclarum exemplum in duobus Brutis non vno, si accidisset, vix mihi persuade-

re. possum. Valerium Maximum præteriturum præferret, cum. M. Brutus longe dignior haberetur D. & ipse duorum fratrum Gracchorum. T. & C. exempla simul concinnasset. Itaque errorem fuisse puto, veriusque esse de D. quam M. Bruto, non solum quod Romanus Romanas res melius nouisset sit verisimile, sed quod Plutarchus in pluribus huiusmodi falsus fuisse deprehendatur, intentus potius ut Græcos Romanis præferret, quod etiam Traiano ut alienigenæ non displicebat (ut potius Romanis adfuisse Fortunam quam virtutem, aliis gentibus virtutem potius quam fortunam) quam historiæ veritati. Id quilibet facillè intelligere poterit, qui Parallela legat, & de virtute Alexandri. Atque ob hoc sanè merito dignus cui nulla fides habeatur, quamuis alioquin egregius vir.

CAPVT IV.

De Miltiadis obitu.

Plutarchus in vita Cimonis etiam mortuum in carceribus refert: & ut efferretur. Cimone illius filium vadem se dedisse, & carceri mancipasse. Idem Valerius refert loquens de ingratis his verbis: *Bene egissent Athenienses cum Miltiade, si eum post trecenta milia Persarum Marathonè deuicta in exilium proximo misissent, & non in carcere & vinculis mori coegissent.* At Plato Atheniensis & temporibus illis proximus, in Gorgia ait: *Miltiadem vero qui in Marathonè pugnanis, in carceris barbarum destruere decreuerunt, ac nisi obtinisset magistratus proclaudibus incidisset.* Itaque nec ingressum illuc, nedum ibi mortuum fuisse constat. Sunt qui dicerent hoc: solum deceptos populi sententia fuisse historicos, cum irrita fuerit: alij damnatum euasisse ne conijceretur, verum à mortuo cadauere rapto & in carcerem coniecto, populum qui uercundia ductus viuo pepercit, magistratibusque paruit, simultate inter populum & potentiores gliscente, extorsisse pecuniam ab hæredibus. Et ne putresceret cadauer donec pecuniæ recuperarentur, vadem in carceribus se præstitisse Cimone filium per duos aut tres dies. Græcos de nihilo texuisse Iliadam, Athenienses Græca leuitate & populari iactantia, reliquos Græcos ut Athenienses fulgillarent.

CAPVT V.

De Romanorum Comitibus.

Nicolaus Cruchius Peromagenensis in tribus libris, quos de Comitibus Romanorum scripsit, eruditissimè sane in initio eorum docet ex Dionysio Halicarnasseo Seruium Tullium Romanorum ipsorum

regem diuisisse populum Romanum in equites & pedites. Equitum decem octo centurias elegit, quos & honestis facultatibus, & strenuos esse compererat, sic ut & equum alere & pugnare possent. Pedites autem in classes sex diuisit: primam ditiorum qui non minus haberent facultatum centum minis, sed vel tantum vel etiam plus: hæ sunt ad formam nostræ pecuniæ redactæ mille aurei coronati, atque ex his octuaginta fecit centurias: seniorum qui annum excéderent quadragesimum quintum, quadraginta. Et has voluit esse ad vrbes custodiam, ut reliquas omnes reliquarum classium seniores: iuniorum à decimo-septimo ad quadragesimū quintum annum, quas quadraginta etiam esse voluit, quos ad bellum educeret. His octoginta centuriis decem octo illas equitum adiunxit: ut prima classis centurias contineret nonaginta octo. Secundam classem à septuaginta quinque minis ad centum: tertiam à quinquaginta ad septuaginta quinque: Quartam à viginti quinque minis ad quinquaginta: Quintam à duodecim minis cum dimidia census ad viginti quinque, atque in hac triginta selegit centurias, quindecim iuniorum, totidemque seniorum; in reliquarum singulis secunda scilicet, tertia & quarta, viginti tantum, scilicet decem seniorum, & totidem iuniorum, ut omnes essent simul quatuor classium centuriæ à prima numeratæ, ex ordine nonaginta peditem triginta quintæ, & viginti secundæ, tertiæ & quartæ. Sextæ classis autem vna tantum, hæc enim minus habebat in censum, duodecim minis cum dimidio: insuper quatuor centurias inermes, duas fabricorum, duasque tibicinum & cornicinum, ut essent, (quia nulli alij equites erant) omnes centuriæ nonaginta quinque, & primæ classis nonaginta octo.

Id autem primum ouomodo intelligi debeat, & qua ratione factum sit, docere operæ pretium est. Neque enim ita intelligendum est, ut totidem viri, id est centum homines in vnaquaque centuria continerentur: magna enim quadam bona fortuna opus fuisset, ut in singulis tribubus, primâ omisâ, bis mille homines continerentur. Sed ita intelligi debet, quod singulæ centuriæ ad belli munus vel è suis si haberent, vel è sexta classe pecunia allectos exhiberent. Ita ex sexta classe sufficiebat, quamquam multitudinem maximam contineret, ac penè quantum totus reliquus populus, vnam centuriam describere: ut essent proletarij, qui filios generando Reipub: satisfacerent, milites mercenarij ad supplendas centurias: & ipsi cum minimum æris haberent, minimè etiam grauarentur. Frequens quoque vrbs belli tempore, & nisi pauperes queritando victum & labore parando relinquebantur. Itaque æquata lance in suffragiis, vnicum pro vna centuria quam ipsi dabant, haberent: contra Primæ in classis arbitrio, si ipsa esset concurs, omnia magna essent, cum

cum sola nonaginta octo centurias, id est totidem suffragia è centum nonaginta tribus totius Reipublicæ obtineret. Nec mireris quòd octuaginta iusserit esse centurias in prima classe, cum in aliis viginti tantum exceperit: nam supra septuaginta quinque minas, totum quicquid fuit in belli usus, collocandum esse censuit sine iactura. Ita qui ditiores erant, & pondus belli & honores omnes suslinere cogebantur, & in potestate habuerunt.

Porro qui Romæ iudicabant, singuli Prætores dicebantur in quibusdam causis: alij Magistratus velut Aediles curules, & annonæ Præfecti. Sed generaliter septem fuerunt, è quibus quatuor è cæteribus fiebant: Plebs plebiscitum, & iudices causas capitales, aliquando centum viri, & collegium Sacerdotum aut Aruspicum: Et Senatus hic ex ordine & de Repub. etiã. A toto autem populo fiebant comitia, quibus nihil erat maius, reliquæque potestates subijciebantur: comitia autem trium generum, centuriata à centuriis dicta. Tributa à tribubus, curiata à curiis quæ triginta fuerant institutæ Romulo, sempèrque eadem numero mansere: centuriata nobiliora erant de bello & pacè deliberantibus, de magistratibus eligendis nobilioribus, de absolueudis damnandisve ciuibus, ac de promulgandi s legibus. Omnibus comitiis commune erat vt in campo fierent, iudicia in foro, Senatus in curia proprio loco vel templo habebatur. Iudices ad centum vel magnum numerum legi solabant ex Senatu semper, aut omnes quod raro fiebat, aut pars vt plerumque, & ex ordine equestri qui plures semper ferme erant, & ex tribunis ætariis, atque hic mos ex ordine. Ad diti etiã sunt lecti è populo quindecim è singula tribu, qui sunt quingenti & viginti quinque, qui eo anno iudicarent Silana lege à Tribuno lata, adiuuantibus Senatoribus atque optimatibus: quod equites ius illud sibi ferme totum ascisissent. Maximi apud Romanos magistratus erant septem ordinarij, quatuor qui centuriatis comitiis creabantur, Consules, Prætores, Censores: Et rex Sacrificulus. Alij tres his maiores erant, sed extra ordinem, nec nisi maximo in Reipub: periculo creabantur. Dictator cuius summa erat potestas, nec vllus magistratus vim aliquam habebat præter tribunos intercedendi. Maximo discrimine belli, aut in maxima peste creabatur religionis cuiusdam causâ, & habendorum comitorum causâ: non plus sex mensibus erat illius potestas, sæpius ante præstitutum tempus potestatem relinquebat. Inde Cæsar sibi perpetuam fecit, & Sylla etiã ordinem transgressus est, sed ante mortem deposuit. Post erat Interrex comitorum habendi causâ, Regiã quasi potestate, sed quinque dierum spatio proscriptus, plus habens auctoritatis quàm virum. Inde Magister equitum, qui vicariam gerebat in absentia Dictatoris potestatem: dum præsens erat, summa potestas illi in equi-

tum ordinem totum, cuius amplissima dignitas & numerus, & opes magnam nobis partem ac præcipuam occupabant. Sed & hic magistratus sex mensium spatio fiebat cum Dictatore. Hi tres magistratus non creabantur centuriatis comitiis, nec vllis aliis, sed Interregem eligebant Patriij soli: nulla in hoc autoritas Plebi vel populo: Dictatorem dicebat consul, alter mandante Senatu, sed tamen oportebat eligi consularem virum. Religio erat vt occidente Sole illum nominaret tacitè Consul. Dictator pro arbitrio sibi Magistrum equitum eligebat, sufficiebat vt illum nominaret, nec conditio vlla vel in eo qui eligebatur, vel in electione obseruabatur. Comitia ergo non nisi ab altero consule, vnòque tantum, etsi alter adesse possset & à Prætoze, & à Dictatore aut Interrege haberi, sed præsentibus habebantur. Consules ex instituto fuerunt Ser. Tullij regis, atque in tribus commentariis ordo inuentus est, dum Populus Romanus se in libertatem vindicasset; Rex autem sacrificulus, antequam crearetur à Pontifice maximo dicebatur, vt consules à consulibus.

Erant & tributa comitia vt dixi à tribubus, quæ primo tres Romuli ætate Ramenses Tatienses luceret. Hæ communitatis nominibus atque addita vna à Seruio Tullio Rege dictæ sunt, Esquilina, Palatina, Suburrana, Collatina. Atque hæ urbana: quibus additæ sunt triginta aliæ rusticæ, imò tandem posterioribus temporibus triginta vna, vt omnes euaserint triginta quinque, quarum nomina hic subiiciuntur: nam perpetuo perdurant & à regionibus ac locis vrbis diuersis nomina sumplere. Earum igitur series Alphabeti ordine sic describitur.

CAPVT VI.

*Nomina Tribuum, ex commentariis
Pauli Manutij F. A.*

1. Emilia. 2. Anienfis. 3. Claudia. 4. Cornelia. 5. Collina. 6. Crustumina. 7. Esquilina. 8. Falerina. 9. Fabias. 10. Gaecia. 11. Lemonia. 12. Metia. 13. Naruënsis. 14. Ocriculana. 15. Oufantina. 16. Palatina. 17. Papyria. 18. Pollia. 19. Popilia. 20. Pontina. 21. Publicia. 22. Pupinia. 23. Quitina. 24. Romulia. 25. Sergia. Ser. 26. Suburrana. 27. Sapia. 28. Scapria. 29. Stellatina. 30. Sabatina. 31. Terentina. 32. Tromentina. 33. Velina. 34. Volitina. 35. Veientana.

Rusticæ tribus ingenuorum & nobiles habebantur: Quatuor urbana ignobiles & libertinorum, pauperrimæque. Urbana enim dicebantur, quia vere ad quod itarent carebant. Celebrabantur omnia comitia loco religioso, vt publica quæcunque, centuriata autem in Campo Marti dicato extra Pomerium. Comitiis tri-

butis eadem iudicabantur, quæ curiatis; scilicet de legibus ferendis, de criminibus, quæ duo centuriatis etiam, ut visum est fuere communia: peculiariter autem tributis atque centuriatis ad cooptandos Sacerdotes in collégia, & creandos ceteros magistratus, ab illis septem quos minores appellabant, quod minoribus præeuntibus auspiciis sicut maiores maioribus crearentur. Minores erant Tribuni plebis, Tribuni Aerarij: Triumviri capitales, tritum viri nocturni, tribuni auro argento ære flando, feriendo, præfecti: Aediles cures, ædiles plebis & Quæstores: alij etiam sed extra ordinem. Vnde patet causa, cur Tributa comitia fuerint introducta: Nam cum curiatis comitiis quæ antiquiora fuerent, ceteris dico centuriatis & tributis, omnia quæ postmodum tributis crearentur, à triginta aliis quæ semper mansere, numero & familiis immobiles, necesse fuit additis multis Italici generis in Romanam ciuitatem, & qui suffragium ferrent, cum non liceret in curias distribuere, excogitare tribus, quæ numero & ciuibus possent ampliari, & ferre suffragia, quæ summa erat voluptas & utilitas: tum gloria quæ omnes cupiebant se Romano populo inferere, & propter quam tot difficilia tamque duram militiam & acerba tributa tollerabant. Omnibus comitiis commune est, ut opus habeant, auctoritate Senatus, præterquam tributis in campo Martio Marti sacro ex hæreditate Romuli extra urbem. Curiata igitur comitia à triginta curiis à Romulo institutis, qui Populum vniuersum pauculis ad sacrificia peragenda, & quædam alia munera exceptis, in triginta partes æquales diuisit, & vnicuique propria Sacra propriisque Deos quos colerent, & Sacerdotem vnde collegium triginta curionum tribuit, ortum habuerunt, fueruntque antiquissima: nam centuriata à Seruio Tullio, Tributa etiam multo post Coreolani tempore ortum habuere. Magnam partem ademit facultatis centuriatorum constitutio, cum antea Reges curiatis comitiis creati fuissent: nam hæc sola Populus habebat, sed maximam tributa comitia sustulerant, in quæ vis suffragij minorum magistratum & legum atque aliorum quæ dicta sunt, translata sunt, ut inanis vis post hæc curiatis comitiis, quæ simplicissima erant, relicta sit. Nihil fecius tria eis relicta sunt, etiam post tributa comitia, Flaminum sacerdotum creatio: Ius moderandæ potestatis amplificandæque maiorum magistratum, ita ut summam quandam potestatem post illos creatos & absolutionem continere viderentur. Præterea de Sacrorum ritibus & ordine, tum Testamentis & adoptionibus curiatis comitiis, res agebatur atque decernebatur. Mali ominis inter curias Fautia, captiuitate urbis, Pace Caudina, clade apud Cremeras. Atque hæc hucusque absque controuersia; quæ verò

succedunt & propter quæ hæc omnia præmissus narrauimusque, & in controuersia versantur sunt huiusmodi: quoniam si centuriata comitia sunt per classes, igitur centuriæ integræ sunt in classibus: aded ut prima centuriæ secunda & tertia, & sic deinceps omnes sunt in prima classe: & prima classis occupabat plures, imo omnes tribus, igitur non poterat vna tribus sentire aliquid aut decernere, quin ferme omnes centuriæ suffragium dedissent: quia in vna tribu erant omnes classes: at non classes sed tribus tulisse suffragium feruntur. Valerius Maximus libro octauo: *cum quatuordecim tribuum suffragiis damnatus esset*. At non poterant tot tribus damnasse, quin classes omnes quæ in eis erant, suffragium aduersus eum tulissent; atque ita iam omnes tribus suffragium tulissent, & ipse damnatus vel absolutus: cum tamen subiiciat: *Quod violentia dicti aduersarij reliquis tribus eum absoluerunt*. Sed forsan de tributis comitiis id intelligi potest. Sed & Liuius & Alconius prærogatiuæ tribus meminerunt, aded ut iudicia per tribus non classes administrarentur. Et à Cicerone in oratione secunda contra Rullum. *Exrema tribus suffragiorum*. Et à Liuiio Decade prima. *Tribus omnes præter Polliam antiquarunt legem*. Et Decade Quarta. *Omnes tribus vti rogassent iusserunt*. Alibi scribitur: *Et iam prima tribu suffragium tulerat*. Video Nicolaum in hac causa titubasse, cum satis constet fieri non posse, ut eisdem comitiis & classium ordo haberetur, & Tribuum numero decernerentur leges, aut magistratus aut quidvis aliud. Propterea duorum alterum est necessarium, vel vt alia essent comitia centuriata per classes facta, alia per tribus: vel vt mutata lege, cum primum plures ciues in vna tribu, suffragium tulissent: tum tribum illam tulisse suffragium, renunciari solitum: Quod omnino verum esse fere non potest: nam non nisi cum maxima confusione omnium fieri poterat.

Melius est ergo ut dicamus populum Romanum centuriata comitia mutatâ lege Ser: Tullij ad tribus hoc modo reuocasse, ut gratia exempli in Prima Tribu essent decem centuriæ primæ classis, septem secundæ, quinque tertiæ, sex Quartæ, octo quintæ & vna sextæ, vt simul collectæ essent triginta septem: tulisse autem per ordinem classium centurias; cumque eò ventum esset vt decem nouem id sentirent, tum primum renunciatum est tribum illam primam hoc decreuisse. Inde ad alias tribus eodem modo transitum fuisse. Nec vllam aliam viam tot ambagibus conciliandis inuenio. Constat itaque ante tribuum numerum absolutum centuriata comitia habita fuisse, nullo tribuum respectu, post urgente plebe per tribus habita, classium eodem ordine seruato.

CAPVT VII.

De Causa generali errorum & contradictionum.

AT generaliter Græcorum historia plena est mendaciis & nugis: auidi enim inanis gloriæ plurima fingeant inaudita prorsus & incredibilia etiam, vt homines admiratione ducti talia legerent, inter quæ maximè sunt quæ à Polyeno scribuntur, fabulosa, absurda, incondita: talibus libri referti sunt, vt omnia vel etiam maiorem partem si quis persequatur, nullum habiturus sit finem: hæc autem dicta sunt factis, vt quis intelligat pleraque tam absurda quàm etiam verisimiliora, falsa esse atque mendacia. In Romanis varietas nominum fallit.

CAPVT VIII.

De Senecæ vita & Quintiliano.

ANnæi Senecæ historia haud paruum in se continet admirationem. Inquit enim in Procemio Primi libri Controuersiarum: *Nec Ciceronem quidem atq; mihi irripuerat, sed bellorum civilium furor qui tunc per totum orbem peragabatur. Intra Coloniam meam me continui: alioquin potuissem eum audire in illo atrio, in quo*

duos grandes prætextates ait secum declamare solitos. Potui & illud ingenium quod solum Populus Romanus per imperio suo habuit cognoscere, & quod vulgo de alio dici solet, sed de illo propriè debet, potui vnam vocem audire. Perit Cicero anno ab vrbe condita DCCXII: perit Seneca anno Neronis XI. Urbis igitur DCCCXVII: à quibus si detrahas DCCXII relinquentur anni CV. oportuit si Ciceronem audire debuit, saltem annos natum fuisse XII, vt in summa colligantur anni CXVI. Meminit etiam Melæ filij in secundi eiusdem operis Procemio; at Senecam cum perit neque filium habuisse constat, nec verisimile est traditum Neronem instituendum, iuuenem præferocem, homini CV annum agenti, fuerit quantæcunq; eruditionis. Ergo alius hic est qui controuersias scripsit, & patruus, vt reor, Senecæ illius diuitis, qui à Nerone occisus est. Poterat videri sedata lis, si non idem mentionem fecisset Quintiliani atque in eodem opere, quem constat fuisse magistrum nepotum Domitiani. At & Quintilianum senem nominat, ipse verò genuit duos filios, qui perierunt. Cum ergo Seneca (etiam si is sit qui sub Nerone obiit) nullo modo Quintilianum post XXIV annos nondum senem videre potuerit, palam est & alium fuisse Quintilianum, senem à Fabio Quintiliano, qui institutionem Rhetoricam scripsit: neque enim cum Seneca ille vi perit, Quintilianus maior esse potuit XXX annis. Plures ergo Senecæ & non duo, sed & quatuor aut quinque, nec forsan pauciores Quintiliani fuerunt.